

CAPUT XXII.

DE RELATIONE INTER CAPITULUM ET VICARIUM.

§ 1. *De vicario capitulari.*

I. Tota capituli jurisdictio transit ad vicarium capitularem, ita ut capitulum illam ullo modo limitare non possit, sive quoad tempus, sive quoad materiam; et administrationi Vicarii se immiscere nequeat. Vicarius a capitulo revocari non potest, in nullo casu indiget speciali capituli mandato, Episcopo futuro et non capitulo administrationis sue rationem reddere tenetur. Capitulum assignare aut constituere nequit officiales, quos vicarius capitularis adhiberet, et removere non posset. Capitulum vicarium accusare aut judicare non valet; quatenus tamen opus fuerit, eum admonere et ad legitimum superiorem deferre potest.

II. Vicarius capitularis, choro assistens, quatenus est canonicus et distributiones lucratur, in stallo suo seu loco receptionis sedere debet; et tunc nulla fruitur præcedentia: si vero adsit quatenus vicarius capitularis et sine habitu canonicali, distributiones amittit, et locum habet a sinistris primæ dignitatis, atque prima dignitate celebrante vel absente, a sinistris primi et dignioris canonici præsentis, capitulum repræsentantis (1).

Similiter in processionibus proprium locum occupare debet, et in vestibus nigris post celebrantem incedere nequit (2).

In aliis autem actibus et sessionibus, in quibus vicarius capitularis ex auctoritate adest aut agit, honorandus et præferendus est, quemadmodum vicarius Episcopi honorandus et præferendus est (3). Ita in visitatione ecclesiæ incedit inter duos digniores ex capitulo (4).

III. Vicarius capitularis non gaudet jure faciendi functiones Episcopales, quia haec pertinent ad primam capituli dignitatem, et successive ad sequentem (5).

(1) Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 112.

(2) S. R. C. 23 Mart. 1709, *Tarentina*, 7 et 8.

(3) S. C. C. 2 Junii 1592, dub. 2, *Taurinen*, apud Zamboni *Vicarius capitul. § III*, n. 7.

(4) S. R. C. 8 Nov. 1843, *Abellinen*.

(5) S. R. C. 7 Aug. 1627 et 27 Martii 1628, *Syracusana*; 26 Aug. 1713, *Majoricen*, ad 7, Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 212.

Ei sedere non licet in sedili Episcopali, in quo Episcopus conciones audire consueverat (1).

Illi non debetur obsequium obedientiæ, quod soli competit Episcopo proprio ob eminentiam gradus (2).

In actibus vicariatus non proprio, sed capituli sigillo uti debet (3).

§ 2. *De vicario Apostolico.*

I. Vicarius Apostolicus, de quo hic agitur, est qui per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium deputatur, sive cum metus est, ne diutius ecclesia aliqua Pastore viduata permaneat; sive cum in vicarii capitularis electione controversias et turbas excitandas fore prospicitur; vel quando Episcopus adversa valitudine aut senio affectus, gregi gubernando impar agnoscitur; aut denique cum illius culpa fit, ut ab Episcopatus administratione suspensi aut perpetuo removeri debeat (4).

Cum Episcopo ab Apostolica Sede Vicarius datus est, Episcopo etiam defuncto, officium retinet, et tunc ob reverentiam Sedis Apostolicæ, Vicarii capitularis electioni locus non est (5).

Quæ illorum sit auctoritas et facultas, omnium tutior ac melior ratio est, ut Apostolicæ eorum deputationis litteræ inspiciantur et perpendantur (6).

II. Vicarius Apostolicus tenetur residere in diœcesi, ad quam regendam missus est, nec potest ab ea ad longum tempus discedere, et alium substituere absque prævia licentia S. Congregationis Episcoporum (7).

III. Vicario Apostolico in omnibus ecclesiis et functionibus ecclesiasticis debentur tantum illæ prærogativæ quibus gaudent vicarii generales Episcopi (8). Adeoque capitulum non tenetur eum ad portam ecclesiæ excipere et associare, neque eidem aspersorium ministrare in ingressu ecclesiæ; neque debetur ei osculum evan-

(1) S. R. C. 8 Ap. 1656, *Hydruntina*.

(2) S. R. C. 21 Junii 1632, *Oritana*, et 18 Ap. 1682, *Hydruntina*.

(3) S. R. C. 23 Mart. 1709, ad 9, *Tarentina*.

(4) Bened. XIV, de syn. lib. 2, cap. X, n. IX.

(5) Devoti, Instit. Canonic. lib. 1, tit. III, § 63; De Angelis lib. 1, tit. 28, n. 25.

(6) Bened. XIV, loco cit. n. X.

(7) S. C. Episc. 19 Junii 1607, *Spolitana*; Muhlbauer, Vicarius Apost. d.

(8) S. R. C. 12 Aug. 1684, *Spoletana et Imolen*.

gelii expleto ejus cantu, neque assistentia magistri cæremoniarum in choro (1); ipse Vicarius in missa solemnzi uti nequit palmatoria, neque presbytero assistente (2); neque ei debetur titulus *Illustrissimi* (3), nisi sit Episcopus. Non gaudet jure peragendi functiones Episcopales, sed hæc pertinent ad primam dignitatem, et successive ad alias (4).

IV. In choro, quatenus canonicus, habitu canonicali indutus, sedet in loco receptionis; quatenus autem vicarius, præcedentiam habet supra omnes, ideoque sedere debet in digniori loco, non tamen in sólio Episcopali (5). Quod si dignior sedes chori occupata esset, tunc dignitatis et canonici descendere debent, majorem sedem ipsi vicario relinquendo (6). Hæc differentia advertenda est inter vicarium capitularem et Apostolicum: ille sedet a sinistris primæ dignitatis, quatenus electus a capitulo, et hic in digniori loco, uti constitutus a Sede Apostolica.

CAPUT XXIII.

DE JURE ET FACULTATE VICARII CAPITULARIS.

§ 1. *De jure particulari.*

I. Vicarius capitularis non tenetur diebus dominicis et festivis missam pro populo applicare (7).

II. Nomen vicarii capitularis in oratione canonis *Te igitur nominari* nequit (8).

III. Sicut Episcopus diœcesanus, cuius mensæ episcopali præbenda canonicalis unita est, et duo canonici in servitio Episcopi existentes, fructus præbendæ percipiunt, ut dictum est cap. X, § 1,

(1) S. R. C. 13 Jul. 1658, *Juvenacei*.

(2) S. R. C. 21 Jul. 1855, *Vicariatus Apostoli Constantinop.* ad 5.

(3) S. R. C. 12 Aug. 1684, *Spoletana*.

(4) S. R. C. 1 Feb. 1614, *Brundusina*.

(5) S. C. Episc. 22 Jan. 1596, in *Cajetana*.

(6) S. C. Episc. 14 Aug. 1590, in *Licen*, apud Muhlbauer, *Vicarius Apostolicus*, c.

(7) S. R. C. 12 Nov. 1831, *Marsorum* ad 23.

(8) S. R. C. 22 Aug. 1722, *Sarsinaten*, 5, et 9 Maij 1857, *Pekinen et de Mongolta* dub. IV.

et cap. XIV, § 1; ita similiter dicendum est, vicarium capitularem fructus præbendæ suæ lucrari, etsi chorū non frequentet, quia eadem est ratio. Plures etiam censem, eum lucrari distributiones quotidianas, si choro propter munus suum non intersit (1); potius autem dicendum est, illum easdem non acquirere, nisi legitima adsit consuetudo, quia nec Episcopus diœcesanus, nec duo canonici in ejus servitio, eas lucrantur, sicut de illis ibidem etiam notatum est (2).

Si choro intersit, ad lucrandas distributiones interesse debet cum solita veste canonicali, et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquorem præcedendo. Si vero distributiones lucrari noluerit, præcedit omnes præter primam dignitatem seu digniorem canonicum præsentem (3).

IV. Vicarius capitularis de congrua sustentatione provideri debet, non quidem pro ratione temporis vacationis sedis Episcopalis, sed pro tempore muneri vicarii capitularis (4). S. C. Congregatio inhaerendo declarationibus alias factis censuit, vicario capitulari constituendum esse salarium, dari solitum vicario generali Episcopi (5); et ut notat Lucius Ferraris (6) circa hoc attendenda est legitima locorum consuetudo, præterquam in regionibus in quibus vicarii capitulares congruum ab ærario civili stipendium recipiunt (7). Vicarius tamen capitularis non potest pœnas et mulcas pecuniarias in usus proprios convertere; hæc enim integræ locis piis applicari debent (8). Sed et congrua vicarii capitularis sustentatio desumenda est ex vacantis sedis emolumenis, quæ scilicet ex jurisdictione, aut ex sigillo, seu ex alio quocumque fonte proveniunt; e quibus, detracto ejusdem vicarii competenti salario, quidquid reliquum est, ad futuri Episcopi commodum remanere debet. *Sacra Congregatio alias censuit, emolumenta, sede Episcopali vacante, obvenientia ex jurisdictione, et sigillo, aut alias undeque, neque ad capitulum,*

(1) Scarfantonius et plures ab eo citati lib. II, tit. X, n. 19.

(2) Vid. Lucius Ferraris, *Vicarius capitul. art. 1, n. 50*; De Angelis l. 1, tit. 28, n. 22.

(3) Lucius Ferraris, ibidem n. 51 et 52.

(4) S. C. C. 23 Mart. 1861, *Analecta juris Pont.* 1863, fol. 2255.

(5) 4 Jan. 1631 in *Brundusina*, apud Scarfantonum lib. IV, tit. VII, anim. 71.

(6) *Vicarius capitularis*, art. 1, n. 49.

(7) De Angelis lib. 1, tit. XXVIII, n. 22.

(8) S. C. C. 28 Mart. 1648, in *Emenisi*, lib. 18, *Decretor.* p. 464.